

tumque à materia abludentes. Erant prætereà uterque Jurisprudentiæ imperiti, unde etsi liber reverà extaret, & titulus libro corresponderet, ignorabant tamen, sub quem titulum in sua Bibliotheca referrent. Unde tutissimè se facturos crediderunt, si referrent sub titulum ab Autore præscriptum, sed reverà ineptissimè egerunt, quia Tituli Autorum libris præfixi, ut plurimum sunt Oratorii magis & pomposi, quàm Technici & accurati. Opus indurum igitur esset, ut Bibliotheca *Draudii* Classica non continuaretur solùm (pervenit enim ad annum 1625.) sed & reformaretur. Continuationem ejus molitus est *Meisnerus*, *Torgaviæ* Rector, sed Reformationem addidisse non puto: Mortuus opus interruptum reliquit. Bibliothecam Practicam promisit *Jac. Gothofredus*, in sui Manualis partem practicam adhuc edendam inserturus, sed nihil aliud, quàm promisit. Miror verò nullum Jurisconsultorum præstis-

tisse